

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Medico-Practica Inauguralis. De Morbo
Maculoso Hæmorrhagico Werlhofii**

**La Faille, Jacob Baart de La Faille, Jacob Baart de
Groningae, MDCCXCIX.**

VD18 13387421

Morbi Explanatio.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8951

C A P U T I.

MORBI EXPLANATIO.

§ I.

Morbus Maculosus Haemorrhagicus WERLHOFFII est illa aegritudo, quae initio saltem sine febre incipit, sed a lassitudine quadam insolita ac generali debilitate ortum suum trahens, deinceps cum maculis rubris, purpureis, lividis, in tota corporis superficie, maxime in locis vestibus tectis, erumpit: accedunt anxietates, tussicula, et sanguis e gingivis, faucibus, naribus vel etiam aliquando ex aliis colatoris profluit: evanescentibus ordinario post aliquot dies maculis status morbosus in plenariam sanitatem revertitur. Quae definitio characteristica hujus morbi signis constantia exhibet.

§ 2.

Data nunc definitione paucis inquirendum erit de morbi prodromis.

Quemadmodum plerique morbi aliqua praevia habent symptomata, e quibus Medicus in arte pe-



ritus instantem prælagire potest morbum; ita etiam noster morbus variis in uno alterove subjecto præcedentibus est stipatus, pro varia ratione et corporis conditione diversis, antequam macularum eruptio accidat. Quæ tamen prævia a plurimis non sunt observata, ideo, quod hic morbus sit rarus, a plerisque non, nisi post eruptionem, vel unica tantum vice tractatus.

Nonnulli ægri querebantur morbo nondum erupto per aliquot dies de cephalæa, vel insigni lassitudine et torpore ad motum: alii conquesti sunt de sensu gravativo, tensivo, et intumescencia abdominis cum appetitu dejecto.

Nonnunquam præcessit hæmorrhagia narium, oris, vel cum tussi e pectore vel sedibus sanguis prodiit, testibus GUILBRAND (18), et BEHRENS (19).

Præ aliis memorabilis est historia femine, quæ quarto ante exanthematis eruptionem die sanguinem expuebat e cavo oris exsudantem (20). Aliam observationem mulieris annum septuagesimum secundum agentis, quæ per duos ante macularum eruptionem dies subito fluxu menstruo et hæmorrhæa.

(18) Conf. lib. cit. pag. 170.

(19) Conf. lib. laud. pag. 629.

(20) REIL lib. cit. Obs. II. pag. 218.

rhagia vexata fuit, retulit Doct. GRAFF (21). Sed cum illae maculae nullum pariant ingratum sensum, ac primae plerumque in corporis superficie vestibus tecta appareant, hae non adeo facile, nisi formato morbo, perlustrantur. In plerisque saltem aegris praecefferunt petechiae, vel directe cum haemorrhagiae adventu eruperunt.

§. 3.

A signis praeviis ad symptomata morbi enucleanda nunc transeo.

Erumpunt ordinario primae in cruribus maculae, quae non solum se ad abdomen, pectus, brachia, collum atque faciem extendunt; verum etiam aliquando sclerotica oculorum (22), interna oris, gingivae et fauces saepissime his corripuntur; quandoque partes superiores, uti brachia, pectus, collum

B

et

(21) Depromsit hanc observationem e *Miscell. Acad. Nat. Curios.* Dec. II. Obs. 166. p. 392. Alium casum mulieris XXXV annorum, quae, quando incaute diaphoreticum adsumerat, ante macularum eruptionem haemorrhagia uteri larga, narium ac gingivarum correpta fuit; ex eodem fonte hausit Doct. GRAFF *vid. Diss. cit. pag. 19. Obs. II. & III.*

(22) FERRIS *lib. laud. pag. 85.*

et facies citius hisce adficiuntur maculis, quam inferiores.

Quemadmodum in ordinariis petechiis, ita quoque in hoc morbo maculae magnitudine valde differunt; quaedam milii feminibus fuerunt similes, saepius tamen majores observabantur, ita ut floreni magnitudinem adaequarent; aliquando inter reliquas maculas una alterave prodire solebat, quae vix palma manus tegi poterat (23).

Quae majores maculae regulares vel irregulares observantur, aliquando angulosam figuram exhibentes, praesertim in femoribus et cruribus advenientes, si morbus aliquamdiu duraverit. Cl. DUNCAN annotavit, quod post 6^{um}. eruptionis diem vibices apparuerint, iis, quae febres putridas concomitantur, admodum similes (24). Doct. GRAFF (25) memorat, se quoque duas maculas fugillationibus simillimas in hypochondrio sinistro observasse, quae ovi columbini magnitudinem exhibebant. Doct. FERRIS (26) 3^{io}. vel 4^{to}. morbi die vibices, quasi a contusione ortas, in femoribus et cruribus apparuisse, testatur, dicitque leviolem compressionem eas in brachio produxisse. Huc quo-

(23) Doct. CONSRUCH l. c. pag. 21.

(24) Conf. l. c. pag. 68.

(25) Diff. laud. pag. 6.

(26) Lib. Cit. pag. 86.

quoque pertinet Cl. REIL adfertio, a leviori frontis percussione magnam fugillationem obortam fuisse (27).

Hæ maculæ ordinario sunt planæ, neque supra cutis superficiem eminent; vidit tamen DUNCAN, in fronte et brachiis, sed præcipue in extremitatibus inferioribus, maculas lividas, parum supra cutem elevatas, ac multum vibices referentes, effloruisse (28). Cl. REIL, in casu quodam (29) totam corporis ac interni oris superficiem maculis, vesiculis similibus, rotundis, et nigro cruore turgidis, conspersam fuisse, narrat. Unicam majorem maculam supra cutem eminentem refert Doct. FERRIS (30). Harum quoque macularum eminentiam Cl. E. J. THOM. A THUESSINK in puella hoc morbo laborante distincte animadvertit (31).

Eodem modo, quo maculæ erumpunt, ita sensim, nullum relinquentes signum, si res bene cedat, evanescent, et eam subeunt mutationem, ut, quæ cæruleæ vel lividæ fuerunt, rubrum, flavescentem et denique pallidum colorem irregulariter acquirant, nullaque facta desquamatione, natura-

B 2

lem

(27) REIL l. c. Obs. II. pag. 212.

(28) DUNCAN l. c. pag. 63.

(29) REIL l. c. Obs. I. pag. 209. & seq.

(30) Lib. laud. pag. 82.

(31) Conf. Cas. I. Dissert.

lem cutis induant colorem ; dum vibices vel maculæ majores plerumque serius accedentes non cum ordinariis maculis disparent, sed diutius remanent.

§. 4.

Omnibus observationibus inter se invicem collatis, evidenter patet, cum hoc morbo copulari quandam hæmorrhagiam, quæ morbum vel præcedit, vel cum petechiis se manifestat, vel sæpissime, eruptione facta, advenit ; unicum tamen casum, quantum scio, Clar. REIL observavit, in quo petechiæ solæ ac maculæ cutaneæ absque ulla hæmorrhagia adfuerunt (32).

Auctores varios indicarunt fontes, e quibus sanguis effluere solet ; quamvis familiare deprehendatur, sanguinem ex ore proflire, quo in casu gingivæ, vel fauces, vel etiam tota interni oris superficies sanguinis effusi sedem constituunt. Interim Cl. WICHMANN ad ortum hæmorrhagiæ detegendum frustra apud tenellos infantes instituit conamina, neque potuit invenire, unde sanguis emanabat, donec iterum, data occasione, apud adultiorem examine instituto viderit, duas majores maculas in interno ore adfuisse, quarum una palatum

(32) REIL l. c. pag. 215.

tum molle, altera internam buccam occupabat, quæ loca sanguine prorsus tecta, destructa atque gangræna adfecta esse videbantur (33).

Si Aliorum monumenta evolvantur et comparentur, cuiusmodi non mirum videbitur, quin hæmorrhagia oriatur ex eodem fonte, e quo producuntur maculæ, scilicet in diversis oris partibus internis observantur varii Auctores, e maculis pro pullulare sanguinem, iisque ad sanationem deductis, hæmorrhagiam sponte sua sili.

Hæ maculæ ordinario parum eminent, quæ, si aqua bene abluantur, teste KLINGIO, plagas efformant quasi scarificatas, ad tactum spongiosas, destructas, continuo sanguinem dissolutum ac nigrum exsudantes (34).

Hæc hæmorrhagiæ species in aliis majori minore quantitate per aliquot dies, nonnumquam septimanas exsistere videtur; in aliis non omni tempore sanguinem effluxisse, egregio confirmat casu Doct. FERRIS, atque testatur, solo somni tempore oris hæmorrhagiam advenisse, ac directe, si æger e somno excitaretur, sedari (35); in alio

B 3 die

(33) WICHMANN lib. cit. pag. 93.

(34) HUFELAND Journ. der præct. Heilk. Tom. V. Part. I. pag. 185.

(35) Med. Facts and Observ. pag. 83.

die morbi 18^{vo}. invadente febre hæmorrhagias plene cessisse, memorat Cl. REIL (36).

S. 5.

In ore non solum hæmorrhagiæ sedes observatur, verum etiam diversæ corporis partes tam internæ quam externæ sanguinis profluvium admittunt; præprimis narium hæmorrhagia in plurimis ægris, sputum autem cruentum in uno alterove casu observatum est. Sanguinem meracum, tenuem, atque atrum cruorem copiosum per hæmoptysin, mistum cruentum, alvum cruentam secessisse vidit Cl. REIL in casu satis memorabili (37). Doct. GUILBRAND (38), Alique, sanguinem per vomitum fuisse ejectum, constat. Doct. FERRIS e multis attulisse sufficit, urinam sanguine coloratam in progressu præcipue morbi redditam fuisse (39). Mulierem septuaginta annos natam hæmorrhagia labiorum oris, gingivarum & uteri

cof-

(36) Lib. cit. Obs. II. pag. 212.

(37) REIL l. c. Obs. I. pag. 210.

(38) Merkw. Krankeng. pag. 171.

(39) Med. Facts and Observ. pag. 85.

correptam fuisse, narrat Doct. GRAFF (40).
Cl. WERLHOF, in puella decenni largam sanguinis fætidæ hæmorrhagiam per nares, gingivas, asperam arteriam, vomitum, secessum, urinam, a primo inde initio ad finem usque alternis anomalis vicibus advenisse, vidit (41).

§. 6.

Verumenimvero si determinare velimus sanguinis copiam, quæ durante hoc morbo evacuatur, hæc sæpe tanta est, ut omnis deperditus sanguis simul collectus plurimas efficiat libras. Interim sanguis hoc pacto eductus minime naturalis videtur, verum tenuis, dissolutus, serosus, parum vel non concrefcens, ordinario coloris brunnei vel nigri, sanguinis venosi & atrabilarii maxime similis;

(40) Dissert. laud. Obs. V. pag. 20. Alium quoque casum pueri octo annos nati refert, qui, dum tinea capitis laborabat, pone aurem dextram, tota corporis superficie jam maculis purpureis obsessa, vesicam subnigram ad nucis avellanæ magnitudinem accedentem expertus est, e qua aperta sanguis fuscus manavit; similiter e tineæ ulcusculis prodiit sanguis. Diss. Obs. VII. pag. 20. Has binas observationes defumit e Miscell. Acad. Nat. Curios. Dec. II. Obs. XLVII. pag. 121. & Vol. V. Obs. XXX. pag. 117.

(41) Lib. laud. pag. 540, in not. 65.

lis ; vel tenax, spissus ac fætens ; nonnumquam tenuis quodammodo rubri coloris e naribus profiliit (42).

Quodsi e contrario GUILBRANDII & SCHUURMANNI consulamus casus, non dubitare possumus, quin sanguis venæsectione emissus naturali admodum fuerit similis ; dum eodem tempore sanguis hæmorrhagia oris ejectus, putridus, dissolutus, colorisque fuit nigri (43).

§. 7.

Quamvis morbi phænomena hucusque exposita in omnibus fere ægris majori minorive gradu percipiuntur, tamen nemo in ea versari debet opinione, ea ubivis adesse, quin potius dentur ægrorum exempla, qui nullum sentiebant incommodum, et in initio morbi omnes corporis ac mentis actiones rite exercebant. Nonnulli autem directe cum ipsius morbi accessu percipiunt debilitatem, atque collapsum virium insignem, quibus tunc ordinario facies pallefcit, lurida fit, ac contrahitur, sic etiam cutis fit sicca, contracta & ad tactum frigida, lingua evadit alba, cum sensu anxie.

(42) CONSRUCH Lib. Cit. pag. 21.

(43) Conf. Caf. III. Differt.



xietatis somnolentia, aliaque debilitatis indicia copulantur, ita ut pulsus fiat tardus, debilis, sed regularis, in aliis plenus, celer, non vero frequens, in aliis iterum valde parvus, vix sentiendus; appetitus ordinario in initio bonus, dein dejectus cum lingua fordida, intumescencia abdominis ac alvo dura; urina aliquando est alba, nonnunquam citrina, vel fusca, si non sanguinea. Alii conqueffi sunt de dolore hypochondrii dextri vel finistri. Alii constanter fere post aliquot morbi erupti dies sensum quemdam patiuntur oppressivum, vel gravativum pectoris cum leni tussicula, quæ, morbo ad sanationem perducto, quoque cessant. Alii ab initio vel maxime in progressu morbi halitus oris fetente, valde ingrato & putrido corripuntur, qui morbo disparente recedit. Aliquando in progressu morbi quoque tumet, ac dolet parotis (44).

Quodsi omnia bene procedant, primo sistitur hæmorrhagia, post quam incipiunt discedere maculæ, & tandem omnium ultimæ quoque discedunt vibices.

Quod ad faustum huius morbi terminum attinet, varietas maxima deprehenditur, ita ut KLINGE,

C

(44) REIL 1. c. Obs. III. pag. 214. & HUFELAND 1. c. Tom. V. Part. I. pag. 193.



ejus cursum intra 8^{to}. vel 10^{cem}. dies absolutum fuisse, viderit. Doct. autem FERRIS & CONSBRUCH, spatium 14^{cim}. dierum morbum impluisse, memoriæ mandarunt. Non tam prospere successit sanatio in casibus DUNCANI, REILII, Aliorumque; nam ægri licet evaserint, viginti tamen, triginta et quod excedit dies morbus duravit.

§. 8.

Ea non semper obtinet felicitas, ut morbus fauste terminetur; verum aliquando lethalia accedunt symptomata, quæ exitus plerumque insanabiles præfagiunt, quorum reduci merentur sequentes.

I^{mo}. Nimum sanguinis profluvium; in hoc enim morbo hæmorrhagia nonnunquam tanta fuit, ut inanitio, collapsus vasorum & convulsio orta sint, quibus denique successit mors (45).

II^{do}. Quando hæmorrhagia huic accedit interna, morbus magnum ominatur periculum; quem infelicem eventum ex aliis casus a BEHRENS obser-

v2.

(45) GUILBRAND l. c. pag. 172. Vid. quoque E. G. GRAFF Diff. Cit. not. k. pag. 21. ubi refert casum pueri, nimia sanguinis effusione extincti, a J. A. RAYMANNO memoriæ proditum, e Miscell. Acad. Nat. Curios. Vol. XI. Obs. XXI. pag. 99.

vatus fatis dilucide comprobare videtur (46). Ad quem quoque referre non dubito binos a Cl. REIL tractatos casus, quorum unus erat viri, qui, cum per tres dies collutorium ex adstringentibus confectum ad hæmorrhagias comprimendas usurpasset, tam immani capitis dolore invadebatur, ut lectum tenere cogeretur, oculis rubris rigidisque, pulsu vacillante, respiratione stertorosa, apoplexia sanguinea efflavit animam (47): alter casus erat femine, cui etiam gargarismata adstringentia porrigebantur; post horum adhibitionem hæmorrhagiæ omnino sistebantur, accedebat febris, deliria suavia, convulsiones, summa virium debilitas, respiratio stertorosa, somnolentia, excretiones involuntariæ ac mors (48).

III^o. Si hic morbus cum alio complicetur, non raro vitæ periculum imminet; præcipue autem summum portendit periculum, si vel sanguis effusus stagnans iterum in humorum alveum deducatur, vel nervos adficiat, ut exin ita oriatur febris putrida. Plerique enim Auctores, qui tales casus observarunt, omnem accedentem morbum, ac in primis febrem putridam valde timendam esse, uno ore adfirmant.

C 2

Tane

(46) Lib. Cit. pag. 630. & seq.

(47) REIL l. c. Obs. I. pag. 210. & seq.

(48) REIL l. c. Obs. II. pag. 212. & seq.

Tandem quod ad morbi sequelas attinet, monendum censeo, nil certi ac determinati memoratos denotare casus; interim tamen unicam invenimus historiam feminæ XXX ann. hoc malo adfectæ, quæ post hunc morbum oedemate pedum correpta fuit (49). Ex observatione pueri quinquennis, a WICHMANNO descripta, qui post 5^{tam}. vel 6^{tam}. sanationis septimanam eodem morbo, variolis optimi moris complicato, plectebatur, summa cum probabilitate deducimus, ad hunc morbum recipiendum remansisse dispositionem (50).

§. 9.

Quodsi nunc e casibus infelici successu peractis colligere velimus, quænam illæ fuerunt degeneraciones, ex hoc morbo abortæ, omnis nostra indagatio ad duos casus determinatur, quorum unus a GUILBRANDIO observatus est, in quo juvenis hoc morbo defuncti cadaver secundo post mortem die anatomicæ submittebatur sectioni, nullum spargens putridum odorem; maculæ absque ulla mu-

(49) E. G. GRAFF Diff. Cit. pag. 21. ubi hunc casum descripsit, a BÖNECKEN expositum, e Frankische Samlungen Tom. II. Pr. VII.

(50) WERLHOFF Op. Med. Tom. III. pag. 748 in not.

tatione manebant; intestina omnia erant sana & naturalia; lien tantum solito erat major, sed non obstructus; lobus dexter pulmonis a parte posteriori parum gangræna videbatur adfectus; pulmones, cor, ipsiusque vasa vix sanguinem continebant, & fere omni latice vitali erant destituta (51).

Alter casus, a Doct. J. A. RAYMANNO expositus, erat pueri septem annos nati, a nimia sanguinis jactura extincti, cujus cadaver cultro anatomico perlustrabatur, quod altero post mortem die nullum spargebat putridum fœtorem; extenuatum invenit ventriculum; lienem lividum & atro cruore turgidum, ac ita friabilem, ut levi dissolveretur contactu; hepar exsanguis & pallidum; intestina sparsim rubentia, rectum vero lividum; in jejuno lumbricus vivus repertus est (52).

D I A G N O S I S.

§. 10.

Ex iis, quæ hucusque de hoc morbo, nondum ordine Systematico pertractato, vidimus,

C 3

fa-

(51) Merkw. Krankeng. pag. 173.

(52) Conf. GRAFF Diss. Cit. pag. 22. in not., qui hunc casum communicavit e Miscell. Acad. Nat. Curios. Vol. XI. Obs. XXI. p. 99.

